



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles**

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dominicas Per Annum

**Höger, Franz**

**Ingolstadij, 1726**

**VD18 90197089**

Dominica II. post Pascha.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53055)

us ad vocem Miraculorum. III. Persequitur eos, qui testimonium exhibent Veritati. *Ibid.*

*Vulnera  
Christi.*

THESIS XIII. *Ostendit eis manus & latus.* Joan. 20. v. 20. I. Christus ostendendo nobis Vulnera sua, curare cupit Vulnera nostra. II. Ostendendo nobis Vulnera sua, vulnerare cupit Cor nostrum. III. Ostendendo nobis Vulnera sua, impedire vult nos, ne infligamus ei nova Vulnera, *Dict. apud*



## DOMINICA II post PASCHA.

*Ovis.*

THESIS I. *Ego sum Pastor bonus.* Joan. 10. v. 11. An Christus plus candidas, quàm nigras, hoc est, plus innocentes quàm pœnitentes oviculas foveat? Problema esto. *Vide Seguentem in Quadrages. Conc. 32. n. 6.*

THESIS II. *Cognoscunt me meæ.* Joan. 10. v. 14. Signa Ovium Boni Pastoris sunt. I. Quòd oves eum cognoscant, scilicet Dignitatem ipsius pro  
ven-

eneratione. II. Quòd ipsum audi-  
ant, scilicet Vocem ejus, ut obediant.  
III. Quòd ipsum sequantur, scilicet Vi-  
tam ejus pro imitatione. *Nicolaus Diion  
Capuc.*

THESIS III. *Mercenarius autem* *Amor per-*  
*fugit.* Joan. 10 v. 13. *S. Egidius Socius* *fectus.*  
*S. Franc. Seraph. Beatum illum dicebat.*  
I. Qui amat, & non desiderat amari. II.  
Qui servit, & serviri sibi non cupit.  
III. Qui se bene erga alios gerit, non  
tamen eo fine, ut se erga illum vicissim  
bene gerant.

THESIS IV. *Mercenarius autem* *Pastor,*  
*fugit.* Joan. 10. v. 13. O quàm diverse *Mercena-*  
operantur Pastor, Mercenarius, & fur. *rius, Fur.*  
I. Fur rapit, & mactat. II. *Mercena-*  
*rius* permittit, neque defendit. III.  
*Pastor* suâ vitâ contemptâ ovium saluti  
invigilat, & dat animam pro eis. *Vide*  
*Breviar. Festo S. Thomæ Cantuar. Noct. 3.*  
*Lect. 7. ex Chrysof.*

THESIS V. *Illas oportet me ad-* *Pastor*  
*ducere.* Joan. 10. v. 16. Triplici *bonus.*  
modo Bonus Pastor perditam oviculam ad-  
ducere solet. I. *Sola voce*, sicuti Mat-  
thæum, II. *Per Canem*, sicuti Pe-  
trum

trum, ubi gallus instar canis erat. *Vingá*, sicuti Paulum, quem cecitas percussit, & Filium prodigum &c. *de Benign. Kyblerum tom. 1. fol. 440. tom. 2. fol. 893.*

THESIS VI. *Vocem meam* *dient. Joan. 10. v. 16.* I. Oportet Hereticos allicere *suaviter.* II. Expectare *Patienter.* III. Recipere *Amante.* Hac via etiam trahuntur Peccatores.

*Mansuetudo.*

THESIS VII. *Vocem meam* *dient. Joan. 10. v. 16.* I. Qui *Mitis* est, Homo est; qui *Asper*, & *furiolosus* Bestia est. II. Qui *Mitis* est, Rex est; qui *furiolosus* & *durus*, Mancipium est. III. Qui *Mitis* est, Christianus est, qui *iracundus*, Paganus, seu *Barbarus* *Craſet. Conſid. feria 5. hebdom. 5. post Pentecostam.*

*Pastoris officium.*

THESIS VIII. *Ego sum Pastor bonus. Joan. 10. v. 11.* Pastor bonus *regit* gregem suum. I. *Pascere Verbo.* II. *Præire Exemplo.* III. *Curare Subsidio.* *La Selve hic. tom. 1.*

THESIS IX. *Ego sum Pastor bonus. Joan. 10. v. 11.* Bonus Pastor *noſcit* vias, per quas ad Deum tendere possumus. II. *Edocet* semitas

Justitiæ. III. Præcedit in via suo exemplo. IV. Juvat, & faciliat iter, imò portat per Gratiã.

THESIS X. *Ego sum Pastor bonus.* Joan. 10. v. 11. Officium boni Pastoris est: I. Ducere oves suas. II. Pascere. III. Ponere vitam pro ovibus suis.

THESIS XI. *Ego sum Pastor bonus.* Joan. 10. v. 11. I. Pastor bonus debet gregem suum pascere, non seipsum. II. Debet gregem suum defendere, non fugere. III. Debet vitam suam exponere pro grege suo, non gregem suum pro vita sua.

THESIS XII. *Qui non est Pastor.* *Electio  
Pastoris.*  
Joan. 10. v. 12. Qui indignis in procuranda dignitate favent, illos juvant &c. Sunt injusti. I. *Erga Digniores*, quibus indignos præponunt, vel per electionem, vel per resignationem, vel per nominationem. II. *Erga Rempublicam* præficiendo illos, qui eam non erudiunt ob ignorantiam; non custodiunt ob negligentiam; non ædificant ob malitiam. III. *Erga Indignos*, quos ludibrio, & damnationi ex-

H po-

ponunt ; Nam antea Magni , mod  
Parvi, antea Sapientes, modò Stulti, an  
tea Probi, modò Improbi videntur ,  
habentur. *Vivien. Tertull. Prædic. p.  
de Ambitione Conc. 3.*

THESIS XIII. *Ego sum Pastor  
bonus. Joan. 10. v. II. I. Quan  
do aberravimus, vocare debemus gemitu  
ribus Bonum Pastorem. II. Quando  
ipse nos vocat, currere ad ipsum debemus  
totis viribus. III. Quando ille  
nos ducit, toto corde ipsum sequi debemus.* *Dict. Apost.*



DOMINICA III  
post PASCHA.

Tribulatio

THESIS I. *Nunc quidem tribulationem  
habetis. Joan. 16. v. 22.*  
Persecutiones sunt hæreditas Homini  
Christiani. Remedium illas bene  
lerandi est. I. Cogitare , quòd simus  
*Homines.* II. Cogitare , quòd simus  
*Christiani.* Nam ut *Homo* est, Quis tam  
superbæ, & impotentis arrogantiae,  
in hac Naturæ necessitate omnia